



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Cap. XII. De Sanctis & Canonizatis ex Ordine isto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](#)

& primam institutionem religiosè vixeritis, ad damnationem potius, quam ad gloriam hunc titulum usurpatis.

Curate itaque, Fratres mei, omnem à vobis initiatatem repellere, curate bonis moribus insudare, quatenus ad eam, quam Ordinis vestri SOROREM dicatis, per sancta exercitia venire valeatis. Nisi enim in communi sine proprio castè & religiosè vixeritis, ad Reginam cœli non peruenietis. Si sic viuere curaueritis, utiles in Ecclesia Dei estis. Enimuero, sicut bonos Carmelitas religiosè secundum regulam conuersantes, omni laude dignos describimus; ita malos & moribus deformatos, longe ab hoc volumine semouendos esse decernimus. Laudate enim nisi bonos non intendimus. Credimus autem multos ab initio bonos & sanctos in hoc Ordine viros claruisse, hodieq; clarescere; & idcirco non emus Lectorem, ne propter deformitatem paucorum totum Ordinem velit contemnere, in quo multi boni sunt, quos certum est illum ignorare. Neminem ex Carmelitis contemnendum Lector existimet, quoniam qui hodie iacere in deformitate cernitur, eras forsitan primus in acie regularis obseruantia gradieretur.

C A P V T XII.

De Sanctis & Canonizatis ex Ordine isto.

Quam vberes fructus, quamq; suaves in Ecclesia Dei odores ager iste Carmelitici Ordinis protulerit, neminem ignorare credimus, qui veterum historias legit. Nam, vt de his interim filemus, qui in monte Carmelo sub lege claruerunt, tot sancti Fratres sub gratia in Ordine isto fuerunt, vt penitus numerari nequeant. Enimuero, si quis stellas cœli dinumeret, & huius Ordinis Sanctos numerare poterit. Sed forsitan aliquis mihi huius Ordinis æmulator dicat: Quid tu Carmelitas tantopere de Sanctorum multitudine commendas, qui nullius habe-

N O T A .

haceri memoriam in Ecclesia Romana non ignoras. Ostende mihi, quantos in Kalendario ex Ordine Carmelitarum Sanctos inuenieris? Quisquis talia dixerit, se aut inuidum, aut gestarum rerum insciuum penitus ostendit. Quid enim, quod paucos ex Ordine Fratrum Carmelitarum Sanctos Romana veneratur Ecclesia? Num ergo pauci existimandi sunt, quoniam non multi Kalendario inscribuntur? Aut nunc quid Ordo Diuui Patris Benedicti Sanctos idecirco paucos habuit, quoniam vix quindecim ad Kalendarium Benedicti recepit? Enimvero quindecim millia ex eo Sancti 15. millia. nominibus proprijs referuntur. Non consueuerunt vetusti Ordines de multitudine Sanctorum suorum inaniter gloriari, dum unusquisque magis in se sanctitatem studuit amare, quam in alio ad ostentationem suæ Religionis attollere. Malebant enim cultores antiquorum Ordinum Sancti esse, quam dici. Vnde non magnopere curabant Sanctissimos quoque Fratres suos ad plausum vulgi extollere, neque solebat pro eorum canonizatione ad Reges & Principes sollicitandos discurrere, neque importunissimum Pontifices precibus fatigare. Sufficere sibi credabant, si Fratres sui locati fuissent cum Sanctis in celis; & ideo canonizare illos non curabant in terris.

Ordo autem Fratrum Carmelitarum antiquissimus est, & nunquam vetustatis semitas in hac re dereliquerit. Sanctos etenim & multos & præstantissimos Curèss. habuit, sed more antiquitatis paucos in Kalendarium Carmelitani fuisse epit, dum pristina humilitate semper contentus tispauri in fuit. Quod vero paucos veneratur huius Ordinis Sancti Kalendario & Romana Ecclesia, ideo factum credimus, quod cum maxima pars eorum ante transmigrationem Ordinis in Iudæa claruerit, sanctitas eorum Romanæ Ecclesiæ incognita fuit. Nec opus erat eo tempore pro canonizatione Sanctorum ad Sedem Apostolicam discurrere, dum in Diœcesi quilibet Episcopus Sanctum testimonio miraculorum posset declarare. Postquam vero Fratres in Europam transmigrarunt, mul-

Oli qlibet
Episcopus
canoniza-
bat Sanctū

multiplicatisq; diuersis in Ecclesia Ordinibus, neminem pro Sancto haberi Romana decreuit auctoritas, nisi de consensu Summi Pontificis deinceps fuerit canonizatus. Maximus autem Sanctorum numerus hoc decretum præcessit, quos vetustas miraculis inducta canonizauit. Quis Papa canonizauit Apostolos, & veteres Sanctos? Nonne sola antiquitate in Ecclesia Dei venerantur propria sanctitate contenti? Et Ordo Fratrum Carmelitarum plures trans mare Sanctos habuit, quorum in Europa memoria nulla antiquitus fuit. Denique post aduentum Ordinis in Europam Sanctos complures habuerunt, quorum si *complures* omnium nomina vellemus describere, volumen *Sanctos in Europa* hoc in immensum extendere cogeremur. Scimus *babuit.* autem, quod Fratres Carmelitæ Sanctos suos in admirationem populi non consueuerunt exponere; & ideo non fuit nostri propositi, singulos per nomina recensere.

Denique, si quis Viros sanctissimos, qui in hoc Ordine claruerunt, ex nomine scire desiderat, historias & chronica dicti Ordinis legat; & eam præcipue, quam Frater *Ioannes Mechliniensis Conuentus, di-*
ctus Oudenuuater, multo labore composuit, & *Carmelitici Ordinis Fasciculum tripartitum nominauit.* In ea siquidem huius Ordinis tot sanctissimos Viros inueniet, ut de ceteris Ordinibus paucos habuerit similares. Initium quoque Ordinis & Progressum eius aperte lectionis modulo aperuit, & omnes Generales Priores à primo usque ad Pontium, qui Ordini modo præsidet, per nomina descripsit. Nos vero, quos rei familiaris cura sermonem abbreviare compellit, his finem facimus, & secundum de laude Carmelitarum volumen ordinandum pro virili nostra assumimus, in quo de Illustribus Viris & doctis in eo, qui virtutia ad Ecclesiæ virilitatem conscripserunt (quanto scire possumus) mentionem faciemus.

F I N I S.

C

LIB. II.